

omnes inferiores sphaeras motu diurno rapi constituebant, cum tamen maxima turba disputationum hac de re concitata, qua ratione sphaera superior in inferiorem ius habeat, nec dum constitui potuerint. Alij, vt Eudoxus, & qui eum sunt secuti, cuiuslibet proprium orbem tribuebant, cuius motu in die naturali circa terram semel circumferretur. Præterea, Dij immortales, quæ digladiatio, quanta lis vsque adhuc fuit, de orbium Veneris & Mercurij situ, & quomodo sint ad Solem collocandi. Verùm adhuc sub iudice lis est, quamq; vnquam posse componi, vulgaribus istis hypothesebus constitutis, in difficili admodum esse, atque adeò impossibile, quis porrò est, qui non videt?

*plurimum li-
tigatur: ea
apud Coper-
nicum rectif-
simè se habet.*

Quid item obtiterit? & si quis Saturnum infra Solem collocet, orbium & epicycli ad se inuicem seruata interim ratione: cum in iisdem hypothesebus communis orbium planetarum inter se dimensio nondum sit demonstrata, quo per eam quilibet orbis suo in loco geometricè circumscriberetur. Vt sanè hic silentio præteream, quantas tragædias calumniatores pulcherrimæ huius partis philosophiæ, & suauissimæ, commouerint, propter epicycli Veneris magnitudinem: & quia assumptis æquantibus, latrones orbium cælestium super proprijs centris, inæquales ponebantur. In D. Præceptoris autem hypothesebus, orbe stellato, vt est dictum, termino constituto, quilibet planetæ orbis suo à natura sibi attributo motu vniformiter incedens, suam periodum conficit, & nullam à superiori orbe vim patitur, vt in diuersum rapiatur. Adde quòd orbis maiores ambitus tardius, & propiores Soli, à quo quis principium motus & lucis esse dixerit, velocius vt conueniebat, suos circuitus perficiunt. Quare Saturnus sub ecliptica liber viam corripit in 30. annis reuolutionem complet, Iupiter in 12. Mars in duobus. Centrum autem Terræ anni quantitatem ad stellas fixas determinat. Venus in 7. mensibus cum dimidio zodiacum permeat. Mercurius verò minimo orbe Solem circundans, 88. diebus mundum perlustrat.

*Sex tantum
orbis mobiles.*

Suntq; ita sex tantum orbis mobiles Solem, vniuersi medium circundantes, quorum orbis magnus terram deferens communis est mensura: quemadmodum & orbium Lunæ, item Solis à Luna distantia, &c. ea quæ ex centro globi terreni.

*Orbis Ma-
gnus est men-
sura cæterorū
orbium.*

Q

Et